

sapientia, licetque ejus usu, sive per studium a Salomone acquisita, ut voluit Lyranus et Cajetanus; sivo potius a Deo postulanti infusa: hanc enim sapienter vestigabat res omnes, tam naturales, quam divinas, quae sub sole fiunt. Ita Olympiorum. Accedit Chaldaeus qui vertit, *neque aliud a Deo postulant quam sapientiam, ut possent inter honestum et turpe in his omnibus rebus, quae sub sole usu venire consueverunt, iudicium et sensum acquirere.*

Tertio, et optime plaeque genuine, haec accipias de sapientia consideratione actionum et occupationum hominum, quibus se varii varie occupant sub sole in hac vita, q. d. Ego Salomon per sapientiam mihi inditam sapienter scrutatus sum singulas hominum sub sole occupationes, negotia, curas et studia, ut viderem an in his aliquid solidi, boni, gaudii et felicitatis reperire possem; nihil tale reperi, sed potius in omnibus vanitatem et afflictionem spiritus. Hanc esse sensum liquet ex sequentibus, in quibus fuse singulas hominum occupationes, voluptates et studia ordine enumerat, ac sese per experientiam in singulis non nisi vanitatem et afflictionem invenisse commemorat. Dicit: « De omnibus quae fiunt sub sole, » ut omnia se lustrasse ostendat, nullo proruse excepto. Rursum ut exacte et clare, quasi in solari lumine, se ea perspicisse iustinet, q. d. Sicut sol cuncta in ea perspexisse iustinet, q. d. Sicut sol cuncta clare lustrat et illustrat, sic et ego eadem sole illustrante perspicue conspexi; imo perfunde ac si edito solis orbis consistens, omnia terrena longe sub me posita, velut exilia aspexi et despexi. Praclare S. Chrysostomus, epist. 3 ad Theodorum topsum: « Omnia, inquit, umbra, somnia, cursus. Cursor est vita. Ut si quispiam rupis excelsae verticem tenens, pelagus omne prospiciat, multosque inde navigantium crebris fluctibus freti unda submergi, alios in praerupti montis saxo collidi, nonnullis ad alia litora contendendo properare, aliquos tabulae unius auxilio ex fragmentis navis inventae a morte defendi, aliquando pro gubernaculo atque remigis manibus tantummodo suis uti, alios autem videat turbidos fluctus multiformi atque multiplici genere cadavera ferre. Ita est qui militat Deo, cum se a tempestatibus atque turbidibus vitae istius separavit, consistit in arduo semper ac tuto securus loco. Quid enim caelitus potest esse, quid talius, quam unam tantum nos scilicet naturam gerere, quomodo Deo placere possumus? Vidisti naufragia huiusmodi, pelagus undasque declina, et excelsum illum huiusmodi pelagus quere navigantem, et excelsum locum occupa, a periculo captivitatis immunem. »

13. HANC OCCUPATIONEM PESSIMAM DEDIT DEUS FILIIS HOMINUM, UT OCCUPARENTUR IN EA. — Septuaginta, quoniam distentionem malam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea; Syrus, conversationem malam dedit Dominus filiis hominum, ut sollicitentur in ea; Arabicus, Deus enim dedit filiis hominum confusionem, ut occupentur in illa; alii, ut

affigerentur in ea; alii, ut mitescerent in ea; alii utramque complexi, ut illi (Deo) cum labore, sollicitudine, mansuetudine respondeant, et satisficiant. Unde R. Haeceados vertit, ut humiliter se, scilicet coram Deo creatore suo. Hebraeum enim *תָּוֹמָה* significat affligi, prosterni, opprimi, humiliari, mansuescere, mansuete respondere. Unde ab ana derivatur *תָּוֹמָה* inian, id est afflictio, sollicitudo, cura, immixtio. Noster vertit, *occupatio pessima*, id est laboriosissima et molestissima, quae hominem assidue affligit, torquet, cruciat velut in equulo vel pistrino. Alii vertunt, *negotatio misera*. « Septuaginta, ait S. Hieronymus, Aquila et Theodotus, *πεπαιστωμένη* transtulerunt, quod in distentionem Latinus interpres expressit, eo quod in varias sollicitudines mens hominis distenta lanietur. » Interpres Nysseni vertit, *distractionem*, qua mens in varias quasi partes distrahitur et dissectatur: *πεπαιστωμένη* enim est distractio, divulsio, distentio, qua quis distrahitur, distinctur circa multa, distenditur, satagit. Hoc enim significat *πεπαιστωμένη*. Ad haec *πεπαιστωμένη* verti potest *circumflexio*, ut persistat in metaphora circulationis et gyrationis saeculorum, temporum, hominum rerumque omnium, q. d. in hac terrene occupationis, laborum et dolorum rota assidue circumflectuntur, rotantur et gyranter homines, instar Ixionis, uti pluribus dixi vers. 9.

Rursum Septuaginta, cap. v, 2. hebraeum *תִּוְמוֹתָא* vertunt *תִּוְמוֹתָא*, id est tentatio. Queres, quanam haec « occupatio pessima » homini a Deo data? Primo, S. Hieronymus, quem sequuntur Albinus, Hugo Cardinalis, Dionysius, Arboreus, respondet esse curiositatem cognoscendi parum utilia, imo vedita: « Ut scire cupiant, inquit, quod scire non est licitum, » ut scilicet velit nimia et difficili, longa et superba curiositate scrutari omnia plane, tam mala quam bona, quae fiunt sub sole, ibique sistant, nec ad Creatoris cognitionem tendant vel assurgant. Hanc autem hominibus dedit Deus tum positive, quia scilicet indidit homini ingens scientiae studium, moderandum tamen frenis rationis discrete, sed homo eo abutitur ad nimiam curiositatem; tum objective, quia scilicet obicit oculis mentique hominum omnes res mundi, et, ut dicitur cap. iii, 11: « Mundum tradidit disputationi eorum, » quasi illum eum enigima hominum natura sua curiosis scrutandum proponens.

Secundo, melius ali per occupationem hanc ad intelligit studium, sive speculationem rerum ad eas cognoscendas, et hauriendam earum scientiam. Hoc enim sciendi desiderium Deus homini indidit, ut eum a rebus carnalibus avocaret, et ad contemplanda sublimia, praesertim caelestia et divina traderet. Eadem est pessima et molestissima, quia laboriosissima, adeoque saepe spiritus et vires exhaustit, stomachum carebrumque debilitat, vitamque annuit vel adimit. Ita Lyranus et S. Cyrillus, lib. VII *Contra Julianum*, et noster Lorinus. Probant, quia sermo processit

de sapientia, et sapienter rerum investigatione, q. d. Ego Salomon dedi me sapienter speculationi rerum, quia hanc occupationem Deus homini indidit, cum ei indidit mentem rationalem res omnes scrutandi et cognoscendi avidam. Favet Symmachus, qui vertit *ἀπορία*, id est otium litterarium, ita dictum, quia summum est negotium, ut ait Seneca lib. *De brevitate vitae*, cap. xiii et xiv, externa negotia caetera respiciens, et laxamento quoque indigens; unde *ἀπορία* est schola, de cuius etymo ita canit Ausonius, *edyllo* 32:

Et cessare licet: Cratio schola nomine dicta est,  
Iusta laboribus tribuatur ut otia musis.

Hinc rursus Hugo Victorinus dicit occupationem hanc a Septuaginta vocari *distentionem*, quia occupatio scientiae distendit homines ut exterius intumescant, interius inanes evadant, ut foris majores appareant, intus soliditatem amittant, scripos considerare non valendo. Nam « scientia inflat (uti ventus inflat utrem et follem), charitas edificat, » 1 *Corinth.* viii, 4. Verum minus congrue Salomonis sapientia illi a Deo indita, optimae, quae sapienter, utiliter et jucunde contemplantur omnia quae sub sole fiunt, vocatur occupatio pessima.

Tertio ergo, genuine et aptissime, occupatio haec est circa ea quae sub sole fiunt, uti proinde antecessit, puta varia hominum negotia, studia, curae, sollicitudines circa res terrenas, quibus alius in mercatura, alius in agricultura, alius in fabrilis, alius in studiis, alius in aula, alius in alia re se occupat, ut vite alimenta, vel delicias, opes, honores et dignitates consequatur, q. d. Ego Salomon contempnatus sum omnia hominum sub sole studia, et curas quibus sese occupant, magnis continuisque laboribus et angoribus, circa res terrenas; hanc enim circa terrena occupationem Ade, id est tereno homini, ejusque posteris indidit Deus, Hebraice *Elohim*, id est summus gubernator, iudex et vindex, ut occuparentur et distenderentur in ea, tum ad fugam otii, tum in poenam peccati, juxta illud Dei ad Adam: « Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vite tue: spinas et tribulos perminabit tibi, et comedes herbam terrae. In sudore vultus tui vesteris pane tuo, donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, et in pulverem reverteris, » *Genes.* iii, 17. Unde apposite hanc occupationem pessimam explicans, subdit Ecclesiastes: « Vidi cuncta quae fiunt sub sole, et ecce universa vanitas et afflictio spiritus. »

Dicit ergo Ecclesiastes occupationem sub sole, quia scilicet homines se occupant circa res terrenas soli subjectas, ac quarunt bona subsolaria et sublanaria, puta terre opes, voluptates, honores, esse pessimam, id est molestissimam, laboriosissimam, summe cruciantem, tum ut bona haec acquirant; tum ut conservent et augeant

tum dum ea amittunt, vel in morte relinquere coguntur.

Qua phrasi tacite per argumentum a contrario colligendum relinquunt, occupationem supra solem, quae scilicet homo quaerit bona caelestia, ac versatur cum Deo et angelis, esse optimam, id est honestissimam aequae ac iucundissimam. Haec enim occupatio est prelibatio paradisi, ac praestus vite beatorum et felicitatis aeternae. « Septem sunt, ait Beda in *Collectaneis*, quae non inveniuntur in hoc mundo: vita sine morte, juvenus sine senectute, lux sine tenebris, gaudium sine tristitia, pax sine discordia, voluntas sine injuria, regnum sine commutatione: septem vero haec inveniuntur in regno caelorum.

Hunc esse sensum liquet ex Hebraeo *תִּוְמוֹתָא*, quod est exegeticum; exponit enim *תִּוְמוֹתָא* quod fit sub sole ab hominibus per *תִּוְמוֹתָא* pessima, ut sit epexegesis vel appositio. Unde ex Hebraeo sic praecise veritas cum Vatablo, ut *investigatio omne factum sub sole, id quod est occupatio misera, quam tradidit Deus hominibus ut occuparentur in ea, ut sit quasi parenthesis. Latine sic verbi posset, nam ea est occupatio misera, quae voluit Deus homines occupare. Vel, ut Tigurina, quam occupationem laboriosam Deus hominibus inquit, ut ea humiles redderet. Hinc et Chaldaeus vertit, et vidi quod omnia opera filiorum hominum sunt occupatio pessima, quam Deus dedit filiis hominum peccatorum, ut affigerentur in ea. S. Gregorius Thaumaturgus: « Sane, inquit, diligenti indagine animadverti maxime variam esse rerum quae in terris aguntur conditionem, didicique cum primis hominem ad laborem natum, plurimisque frustra occupari. » Dein versus sequentem ita necit et reddit: « Animum enim inferiora haec omnia gravi, amarulento et abominato spiritu distendunt. » Clare quoque Olympiodorus: « Laboriosam occupationem dedit Deus filiis hominum ad magnam illorum utilitatem; quod in comparandis divitiis, et in acquienda inani gloria, ac etiam in his quae ventri ac gula gratificantur, summopere laborandum. Si enim labores et angustias tantas subimus, ut possideamus quae vana sunt, quantum flagitii progrediemur, si haec ipsa otiosis nobis ulro advenirent? Suum igitur quisque est in pistrino detrusus. »*

Hae enim occupatio pessima est quasi equuleus, in quo distenduntur, ut vertunt Septuaginta, et quasi pistrinum, in quo molam vertere cogunt assidue mortales. Unde Thuanus ita paraphrasticè vertit:

Quippe hoc regnator Olympi  
Pistrinum, in penas, vita mortalibus omni  
Versandum sine fine dedit, sine fine movendum.

Et S. Paulinus, epist. 4 ad Severum: « A Considera, ait, huiusmodi mortalium vitam, et tota tibi species iumentis molentis occurret, ut ille pannis oculis corporis, sic iste sordibus vitae suae oculis mentis consutus per errores suorum sensuum,

quasi circa ambages molarum, laboriosa miseratione versaturus. Solebant olim capti in bello, puta mancipia, damnari (uti Samson a Philisteis damnatus est, *Judic.* xvi, 21), ad pistrinum ut molarum rotarent, idque suo mo facitatum scribit S. Augustinus, *epist.* 50; atque idipsum etiam nunc agitant Saraceni. Tale prorsus pistrinum est vita hec ærumnosa, ad quam omnes ob peccatum damnati sumus instar Ixionis. Et lamen sunt nonnulli, « qui molarum negotiorum volvere suavem deputant voluptatem, » ait B. Petrus Damianus, *Opus. XIII De Perfectione monachorum.*

Occupationem hanc ærumnosam, Salomonem secutus Siracides graphice depingit, cap. xl, 1: « Occupatio, inquit, magna creata est omnibus hominibus; et jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulture in matrem omnium. » Et deinde partes sive species enumerat: « Tumultum, fluctuationem, incandiam, furorem, zelum, timorem, contentionem, mortem, rhomphæam, oppressionem, famem, » etc.

Vox *occupatio* significat primo, eam non esse unius horæ vel diei, sed continuam, assiduum et perpetuum per omnem vitam; secundo, eam totum hominem distineri et occupare, ut aliis vacare ne libeat, nec liceat; tertio, hominem tot laboribus et doloribus hujus vite occupatum, et quasi obrutum, nullum in ea invenire solatium; ac proinde oculos mentis debere attollere ad Deum, ejusque opem et consolationem humiliter implorare. Ideo enim ipsa illi a Deo in poenam peccati immissa est, ut coram Deo se humiliet, supplicet veniam optemque postulet. Alias causas et fines ob quos Deum illum homini immisit, suggerit Olympiodorus, scilicet ut homo ex ipsa sua occupatione, tam dura et molesta, sic secum ratiocinetur: Si quoquo te veritas, et circa bonum, et circa malum laborare oporteat, eligendum est labor et occupatio circa bonum, quem consequitur voluptas ineffabilis. Prudens enim est Sapiens dictum: « Ne labores extra præmium; » multo magis: « Ne laborem facias laboris præmium; » uti faciunt qui laborant in vitio et scelere: per hoc enim non nisi labores et dolores sibi accersunt.

Rursus ex duobus malis minus est eligendum; elige ergo occupationem et laborem circa virtutem, quia is minor, quam labor impensus vitio, tum ob honestatem virtutis, tum ob gaudium et præmium, quod ex virtute consequitur. Dicit ergo sibi ipsi Sapiens: Omnis hæc mortalium vita dolore et morore est gravis, id est eguleus, id est pistrinum; ut quid ergo illa me occupet? vita futura omni gaudio et jubilo esse opulenta; ut quid ergo eam non ambiam? cur omne studium id non impendam? Quicumque te colo natum et destinatum agnoscis, terram despice, terrena despice, vive Deo, vive colo, vive æternitati.

Vis nosse quid sint omnes mundi opes, voluptates,

hones, honores? Audi respondentem S. Gregorium Nazianzenum in *Carm. De Vita itineribus*, ג' ב' illi hæc epitheta tribuit:

Lanugo, spectrum, ros, et levis umbra vaporum,  
Fluminis fluxus, fluxus et aqueusque,  
Somnia, fluctuante navis vestigia, venas,  
Pena celer volitans, pulvis et aura levis.  
Circulus æquali qui motu cuncta volutat,  
Constans atque rotans, fixus et interioris.

Unde concludit:

Nihil autem hic firmum providit Christus ut esset,  
Quo tua frænorum pectora tangat amor.

Et S. Athanasius in *Synopsi S. Script.*, in *Ecclesiaste*: « Universa vanitas, inquit, et afflictio spiritus, et nihil amplius quam vanitas consilii, et inanis voluntatis conatus, futurorum bonorum æternitatem significat; quapropter universa transcendens, hortatur ut æternorum memoriam servemus. »

14. VIDI CUNCTA (opera, ut habent Hebræa) *QUÆ FIUNT SUB SOLE, ET ECCE UNIVERSA VANITAS ET AFFLICTIO SPIRITUS.* — Hæc verba pendunt a vers. 12: « Ego Ecclesiastes, » etc. Nam vers. 13 quasi per parentheses insertus est, uti ibidem dixi; minus congrue alii illa referunt arætanque ad vers. sequentem, uti ibidem explicabo. Arabicus verit: « *Cognovi omnes artes quæ fiunt sub sole, ecce omnes sunt vacua, et angustia spiritus.* Pro vanitate Aquila verit *ætzic*, id est vapor. Vide dicta initio capituli, vers. 2.

Pro *afflictio spiritus* Hebræice verit *רעה רעה* *reut raach*, ubi *reut* secundum diversas radices diverse a diversis exponitur. Primo enim, si *reut* derives a *רע* *raa*, id est malum esse, conteri, affligi, idem erit quod malitia (id est miseria), contritio, afflictio, ut verit Noster. Hinc Syrus verit, *sollitudo spiritus*; Arabicus, *angustia spiritus*; Chaldaeus, *contritio spiritus*; vel, ut Costus verit, *animi molestia*; alii, *irritamentum spiritus*; alii, *defectio spiritus*; Valabius, *fractio spiritus*, *q. d.* Ego Salomon contemplan omnia hominum studia, omnes occupationes et labores, invenio omnia non tantum vana, hoc est suscipi conatu irritato, casso labore, exitu vano ac nullo; sed etiam spiritum, id est mentem hominis affligere, cruciari et contere: singula enim tot curas, angores, ærumnas, molestias, labores homini afferunt, ut videantur nata ad affligendum illius animum. Ita S. Hieronymus: « Nihil aliud, inquit, deprehendi quam vanitatem et malitiam, id est miserias spiritus, quibus anima diversis cogitationibus afflictatur. »

Rursum, alii *malitiam spiritus* sic explicant, *q. d.* Omnia quæ in mundo sunt, maleficio et quasi venenato spiritu sunt plena, quia hominem affligunt, cruciant, necant. Unde Thaumaturgus verit, uti transfert Brigitanus, *animum inferiora hæc omnia gravi, amarum et abominato spiritu* *is-*

*tendunt.* A' vero transferunt, *spiritu prodigioso et esecand'*, omnia hæc inferiora plena sunt, adeo ut ea colligere nemo queat, imo ne quidem cogitare, quanta res humanas absurditas invaserit, *q. d.* Malus spiritus, puta diabolus, qui post peccatum homini et aeri huic dominatur, omnibus mundi illecebris se immiscet, factique ut speciosiores et delectabiliores multo appareant, quam revera sint, itaque homines illicet, ut illis se oppleant et peccent, ac deinde virus suum per eas tum in corpus, tum in animum hominis instillat, cæterisque peccatorum penis affligat et cruciet. Hinc et S. Hieronymus ad verum sequentem: « Cuncta, ait, quæ sub sole facta sunt, diaboli arbitrio et spiritu malignitatis eversa sunt, dum ad ejus instinctum peccata peccatis cumulantur. »

Secundo, Aquila, Symmachus et Theodotus *reut* derivantes a *רעה רעה*, id est pascere, vertunt *reut*, vel *רעה*, id est, *pastio vel pastura spiritus*, id est *reut*. Jam pastio tripliciter accipi potest: primo, objective, *q. d.* Omnes mundi honores et illecebræ non sunt nisi perfantes venti, qui animum distendant, ac pascere et satiare nequeunt, juxta illud *Jerem.* xiv, 6: « Onagri steterunt in rupibus (ubi magis perfant venti), traxerunt ventum quasi dracones; » quare tales sunt sicut chameleones, qui, ut ait Plinius lib. VIII, cap. xxxiii, hiant semper ore, solum animalium nec cibo nec potu alitur, nec alio quam aeris alimento. » Secundo, active, *q. q.* Qui sequitur vanas mundi opes et honores, similis est pastori, qui pascit non oves, sed ventos, id est illi qui tentant rem inutilem et impossibilem. Quis enim ventos pascere et regere queat? juxta illud *Prov.* x, 4: « Qui nihil mendaciis, hic pascit ventos; idem autem ipse sequitur aves volantes. » Tertio, pastio sumi potest pro depastio, *q. d.* Omnes res mundi non sunt aliud quam depastio, perditio, destructio et consumptio spiritus. Sicut enim bos depascitur gramen, sic illi depascuntur et consumunt omnes anime vires, omnes spiritus, omne gaudium.

Tertio, *רעה רעה* Syrochaldaice significat *cogitare*: unde *רעה reut* a Pagnino verit *cogitatio*, a Septuaginta *περιεργασια*, id est libera electio et voluntas.

Est allusio ad hebræum *רעה רעה* *raa*, id est pascere, eo quod cogitatio sit pabulum mentis, vel quod mens pascat regatque suas cogitationes, sicut pastor oves; sensus ergo est, *q. d.* Omnes mundi illecebræ, quæ cupidis videntur eximia, non sunt nisi eorum cogitatio, et imaginatio, quam parit cupiditas; ex illa enim imaginantur sibi eis inesse ingentia gaudia, saltem et felicitate, quæ revera non insunt: quare illecebræ *reut* pascent nisi eorum imaginationem, imo revera non sunt aliud quam imaginationes, et imaginaria *reut* et somnia; sicut enim somnians

videatur sibi epulari, potare, saltare, ac reveri non epulatur, non potat, non saltat: unde dum expersigitur, jejunium, silibundum et cubi autem se reperit magis quam ante: sic pariter mundi deliciae videntur mentem exhilarare et satiare, at revera non exhilarant et satiant, nec solida mentiant gaudia. Unde Plato: « Spes mortaliū, ait, sunt somnia vigilantium. » Et Platonem de more secutus Philo, lib. *De Joseph*: « Vigilantium imaginationes, ait, somniis sunt simillime; veniunt, abeunt, occurrunt, refugiunt, et priusquam comprehendantur avolant. » Rursum, *περιεργασια* est libera voluntas, electio, propositum, delectus, animi sententia, secta. Significat ergo, ait S. Hieronymus, « quod agat unusquisque quod velit, et sibi rectum esse videatur, atque in diversa libero homines ferantur arbitrio: et vana sunt universa sub sole, dum invicem nobis in honorem et malorum finibus displicemus. » Quisque igitur in mundo pro libito agit, et voluntatis corruptissimæ ductum sequitur: ex quo fit ut mundus iste sit velut carcer quidam insipientium, et singulorum quidem suis singulis erroribus, ac falsis opinionibus furentium. Et quod mirabile est, cum insaniant omnes, quisque solum se sapere, cæteros insanire existimat; sicut *Proverb.* xviii, 2, scriptum: « Non recipit stultus verba prudentie, nisi ea dixeris quæ versantur in eorum ejus. » Ita Pineda.

Accedit Olympiodorus, qui vanitatem summam in eo ponit, quod voluptuarii non ex necessitate, sed libera electione capessunt voluptates illicitas, quibus sibi accersunt æterna gehennæ tormenta. Ad hæc *περιεργασια* verit potest *presumptio spiritus*, id est audacia ac superbia, quæ elati nulla magneque, etiam vitia et supra vires audent et presumunt. Ita S. Augustinus, homil. 1 *De Sermone Domini in monte*: « Vulgo, inquit, magnos spiritus superbi habere dicuntur, et recte, quandoquidem spiritus ventus vocatur. » Nazianzeno vero, *orat.* 10: « Presumptio, inquit, spiritus est inconsideratus quidam animi impetus, et distractio hominis ob verem fortasse lapsam in poena mulctati. » Ubi Elias Cretenensis Nazianzenum exponit « de anima temere, atque inconsiderate impulsam ad mundi vanitatem, atque hujus vite labori et ærumnis ob violatum Dei mandatum addicta. »

Quarto, alii apud Pagninum in *Lexico*, *reut* verit, *societas vel amicitia*: *רעה* enim est socius vel amicus, *q. d.* Dum queris amicitiam hominum, vel societatem creaturarum, non aliud queris quam amicitiam et societatem cum spiritu, id est cum vento, quem videre et tenere nequis ut eo fruaris, cum ille dicto cito perleat, et diluatur et transeat. Ex hæc rerum vanitate et afflictione colligit S. Cyprianus, lib. III *Testimonium ad Quirinum*, cap. xi, fidelem cœlestia tantum *spiritalia* cogitare debere, nec attendere ad *secularia* utpole qui jam illi in Baptismo renuntiant. *id-*

que multis Scripturis testimoniis confirmat (1).

Vere S. Chrysostomus, epist. 3 ad Theodorum lapsus: «Sicut, inquit, in utero puellus, sic in mundo vivimus multis interclusi angustiis, venturique sæculi nec fulgore, nec claritate valentes contueri.» Quin et Pindarus Pyth. ode 8: «Brevi, inquit, mortalium oblectatio crescit; fidem vero et cadit in terram, infanso consilio concessa; diu unius sunt homines. Quid est aliquis? quid vero nullus? umbre somnium homines. Sed cum lux a Jove data accesserit, splendidum est lumen hominum et suavis vita.»

13. PERVERSI DIFFICILE CORRECTURÆ, ET STULTORUM INFINITUS EST NUMERUS. — Hebræa ad verbum habent, quod depravatam, vel perversam est non poterit quis reconcinare; et diminutio, vel defectus non poterit numerari. Ita Vatablus. Alii, curvitas non potest dirigi, et defectus non potest numerari; alii, quod curvatum est non poterit rectificari, et quod defectum habet non potest numerari, vel in numerum venire; Septuaginta, perversum non poterit adornari, et imminutio non poterit numerari; alii, perversum non potest componi, restitui, optari, preparari, emendari, convenienter disponi, æquari. Hæc omnia enim significat hebræum כָּרַךְ *tokan*, scilicet id quod distortum, incurvatum, obliquum vel depravatam esse corrigere, erigere et aplare, componere, inæqualitatem ad æqualitatem, curvitatem ad rectitudinem, difformitatem ad conformitatem et convenientiam redigere, ut partes inter se congruant et consentiant. Unde hebræa vertunt, regulare, vel rectificare; Arabicus, perversum non potest dirigi, neque diminutum potest aggregari. Noster soleret et clare neutrum vertit in masculinum, puta perversum in perversos, ac per imminutionem vel defectum accipit defectum sapientie, puta stultitiam quæ est in stultis. Unde vertit, stultorum. Hi enim sunt minuti, non capite, sed cerebro, hoc est sensu et sapientia. Unde et Syrus vertit, portabatus non potest confirmari; et stultus non potest numerari. Accedit Chaldeus, cuius versionem inferius recitabo. Pro stultus hebraice est חָרוך *chesron*, id est defectuosum, mancum, indigens; item defectus, penuria, egestas. Est melonymia frequens hebræis, qua ponitur abstractum pro concreto, scilicet defectus pro deficientibus sensu. Rursum est auxesis: stulto enim deest sapientia, ac consequenter bona omnia, adeo ut ipse possit vocari *chesron*, id est ipsa egestas; sicuti Eblion heresiarchia dicitur est quasi אֶבְיֹן *ebion*, id est pauper a summa pauperie, quam ipse velat perfectionis studiosus præ se ferebat, aut potius quod pauperie de Christo sentiret, negans ejus divinitatem, ut ait S. Ignatius, epist. ad Philad.: «Si quis, ait, confitetur

(1) Hodierne fere omnes vertunt, stultum innare: referunt scilicet *menah* ad מֵנַח, quod verbum chaldeice idem est quod hebræum מָנַח, volat, cupit, viri sectatus est. Versio tamen Vulgata bene defendit *menah*.

Jesum Christum nudum esse hominem, etc., inopiam est sensus, cognomento Eblion.»

Pro *chesron* Septuaginta vertunt *βεβραχνα*, id est defectus. Sic et Symmachus: «Defectus, inquit, non potest explorare numerum.» Quare minus recta Complutensis et Regii *βεβραχνα* vertunt, posteritas; Posteritas, inquit, non potest numerari: *βιβραχνα* enim *chesron*, vel *βραχνα* significat defectum, inopiam, penuriam, et partes posteriores ejus qui deficit vinciturque, non autem progeniem vel posteritatem (2).

Jam si cum hebræo aliisque in neutro legas, perversum non potest reconcinari, nec defectus numerari: primo, aliqui censent hoc dici contra illos qui putabant mundum factum casu, ideoque imperfectionem esse; tunc autem sententiam cum interrogatione legi oportere, hoc modo: Quidnam deprehendit in hoc mundo, quod imperfectum sit atque perversum, vel ita ut emendari oportet illud? Quid vero etiam deficit in universo mundo, ut ad eundem annumerandumque sit? S. Hieronymus hereticos illos hinc arguit, qui quasdam naturas introducerent que non reciperent sanitatem: Recta enim, inquit, ornatum recipiunt, et curva correctionem, nec perversus dicitur, nisi qui depravatus a recto est.

Secundo, alii ex adverso consent hęc pertinere ad vanitatem rerum sublimarium, de qua vers. præcedenti, eamque explicare et confirmare ex eo quod hæc res omnes, præsertim sint peccatum Ade, in ejus penam depravate sint ac imperfecte, diminute, deficientes, evanide, quas nemo possit redintegrare, ut partibus omnibus suisque numeris sint plene et absolute; nemo perficere, aut adipisci, ut his beate fruatur: quia quod in iis depravatum est, non potest corrigi; quod in iis deest (ut plurima desunt), non venit in numerum: quod enim non est, sed deest, non potest æstimari et numerari. Præclare S. Gregorius Nazianzenus, orat. de Cura pauperum: «Nihil est in rebus humanis natura stabile, nihil æquabile, nihil sufficiens, nihil in eodem statu permanens, nihil sufficiens, nihil veluti rota circumvolvuntur, diversas sæpe diebus singulis, etiam horis vicissitudines afferente, ut instabilibus ventis, et navigii mare secantis vestigiis, et fallacibus noctis insomniis, quorum brevis est fatiga, et his que per ludum in arena fingunt pueri, magis fidendum sit, quam presentis hominum prosperitati. Quare prudenter faciunt, qui propterea quod non fidant rebus presentibus, rationibus suis consulunt in futurum; et propter instabilem humanæ felicitatis conditionem, benignitatem et misericordiam, que nunquam deficit, complectuntur.»

Hinc rursum defectus rerum sublimarium

(2) Jungendus est hic versus cum precedente, ita: Observavi, quod perversum non potest rectum fieri; et defectus non potest numerari, id est, innumerabilia sunt quæ defectu laborant; alii ob parallelismum, quæ aspectu laborant, non possunt sarciri seu suppleri.

merari non possunt, quia sunt plurimi et innumerabiles, et tamen cum tot defectibus et egestatibus scaeat, præ se ferunt et promittunt rerum abundantiam et copiam, quæ hominis cupiditatem satiet et expleant, perinde ac Proverb. ix, 13, meretrix illa stulta et clamosa pleneaque illecebris, et nihil omnino sciens; vel, ut legunt Septuaginta, *mulier insipiens et aulaxa*, et *indiga buccelle*, lamen ambitiose et mendaciter invilat ad panem suavem. Non aliter mundus panis egens, fame enectus, siti confectus mensitur convivium splendidum et opiparum, omnium deliciarum locuples atque refertum. Hæc ergo est eorum vanitas. Ita Pineda.

Hæc accedunt illi qui priorem partem versus referunt ad indomabilem perversitatis et malignitatis rerum contumaciam, posteriorem vero ad stultorum illis obstinate inbiantium multitudine, q. d. Omnia in mundo vana, id est molesta, absurda, perversa sunt; quibus accedit vanitas et stultitia hominum, illis stulte inbiantium, et tam se quam ipsa magis depravantium. Unde Thaumaturgus vertit: «Atque adeo ad tantam rerum deordinationem perventum est, ut nec vel ad integrum boni status mundus reparari, nec quantis absurditatibus humanæ negotia involvantur possit cogitari.» Et S. Hieronymus qui varios hic sensus conglomerat: «Tanta malitia, inquit, in mundi hujus capacitate versatur, ut ad integrum boni status mundus redire vix valeat: nec possit facile recipere ordinem et perfectionem suam, in quibus primum conditus est. Aliter: Omnibus per penitentiam ad integrum restitutis, solus diabolus in suo permanebit errore. Cuncta enim quæ sub sole facta sunt, illius arbitrio et spiritu malignitatis eversa sunt, dum ad ejus instinctum peccata peccatis cumulantur. Denique tantus numerus est seductorum, et eorum qui de grege Domini ab eo rapiti sunt, ut supputatione non queat comprehendi.»

Porro res omnes per peccatum depravate sunt, tum a Deo, ut esset homini in penam et flagellum, ut patet Gen. cap. iii, 18; tum a diabolo, quia illarum speciem magis illecebrasam, quam revera sit, homini ostendat, ut eum ad peccatum illiciat, ut dixi vers. precedenti; tum a concupiscentia hominis, quæ illis abutitur, illasque depravat et corrumpit, ut sese iis magis oblectet et expleat. Gula enim advenit novas fereculorum illecebras, novas mixtiones, nova condimenta eaque innumera, quibus simplex escarum natura corrumpitur et pervertitur. Luxuria advenit novas et portentosas libidines. Superbia advenit novos titulos, novas pompas, novos fastus. Curiositas advenit novæ vestium formas, novos equorum rhedarumque apparatus, denique rerum omnium novitates. Hinc

Tertio, aliqui referunt hanc gnomen ad humane nature per peccatum depravationem, q. d. Deus hominem, puta Adamum, creavit integrum et

rectum, tum in natura, tum in sanctitate et grati. Justitia enim originalis non tantum sanctificaba Adamum, sed etiam humanam in eo naturam in se imperfectam, et ut ita dicam mutilam, utpote in qua appetitus sensitivus sæpe advesatur rationi et menti, ex eo quod anima hominis partim sit animalis, habensque appetitus carnales eosdem, quos habent animalia; partim sit rationalis et spiritalis, habensque appetitus spirituales eosdem, quos habent angeli; hanc, inquam, adversam, et quasi mutilam hominis naturam, inter se confligentem et compugnantem, justitia originalis sanabat, corrigebat, perficiebat, subdens appetitus omnes rationi et menti. Verum sublata per peccatum hæc justitia, relapsus est homo in naturalem nature sue imperfectionem, ut sensus rebellet rationi, concupiscentia voluntati, appetitus legi. Dicit ergo Salomon hanc naturæ depravationem esse tantam, ut a nullo hominum vel angelorum possit corrigi et redintegrari, quodque ejus defectus, propensiones in omnia vitia, miserie et ærumne sint tot et tante, ut a nullo queant enumerari; ideo ad omnes eos restaurandos opus esse gratia Christi: hæc enim omnes inchoate sanat in hac vita, ac perfecte sanabit in futura gloria. Videntur hæc naturæ depravationem philosophi: sed ejus causam, scilicet peccatum originale ignorarunt. Unde alii impie accusant Deum, qui hominem tam miserum creasset; alii naturam, quasi hominum esset nocera, non mater, ut Cicero, lib. III de Republ., quem citat S. Augustinus, lib. IV contra Julian. cap. xii.

Hinc Nyssenus sic explicat, q. d. Vanitas jam dicta accidit non a natura, non a Deo, sed ab hominis electione, ut vertunt Septuaginta. Quia spiritus noster, a suo ornamento et integritate libere discedens, factus est perversus, mancus, distortus; et «quod perversum est non poterit exornari,» id est, hæc hominis per peccatum corruptio et depravatio non est conveniens, nec congrua nature proximitate a Deo restituta et justitia originali exornata, ac velut adamussim rationis et legis Dei directæ.

Quarto, perperam ex hoc loco argumentantur donatistæ perversum esse baptismum qui male credenti conferitur, aut a male credente, puta ab heretico, impenditur, ac proinde non posse eum redintegrari, sed debere iterari ac de novo conferri. Audi Parmenianum obijcientem S. Augustino, lib. II Contra Parmen. cap. xvi: «Quæ male creditur non potest consequi baptismi sacramentum; quia scriptum est: Perversum non potes adornare.» Cui respondet S. Augustinus: «Perversum non potes adornare; quia non ei adornatum valerit Sacramentum quod acceperat, si in fide perversa persisteret, sed potius ad supplicium: cum tamen ipsum sacramentum per se etiam in perverso, quem non ornat, sed judicabat, integrum permaneret, et ideo nullo modo esset illius sacramenti violanda sanctitas, etiam

cum esset illius hominis corrigenda peruersitas. » Bopisimus ergo hereticorum et impiorum est peruersus, non in substantia, quia si debitam materiam et formam seruent, verum et validum est sacramentum, ideoque sine sacrilegio iterari nequit, ut eo quis rebaptizetur; sed in usu, quia grauius peccat tam impie conferens, quam impie suscipiens: quare non confert gratiam, sed imprimat characterem, per quem conferet quoque gratiam, cum per penitentiam sublatus fuerit peccati obex.

Quinto, Pagninus in *Lexico* vertit explicatque in sensu formali, *peruersitas nunquam poterit esse restituta*, hoc est, vitium nunquam potest esse virtus; sive, ut Graeci in *Catena*: « Perversus et in malitiam lapsus, dum in malitia est, virtutem percipere non potest, » scilicet in sensu composito quamdiu in malitia persistit. Cajetanus vero, *totum non potest optari*; quod ipse non tantum de moribus, sed etiam de rebus physicis accipit, v. g. « quod agnus rapitur a lupo, quod segetes destruantur ab imbris vel caumatibus; » nemo enim agnum a lupo lanatum redintegrare, vel segetes imbre disiectas, aut aestu exustas restaurare potest.

Verum hic sensus perergus est, fallis et imperitiosus. Quare sensus secundo loco recensitis in primis est genuinus, deinde tertius.

Sed iuxta Vulgatam, quae habet, *peruersi deficiente corriguntur, et stultorum insipientis est numerus*. Varius huius sententiae occurrit nexus et sensus.

Primo, censent aliqui esse occupationem, qua Salomon occurrat tacite objectioni. Dicit enim vis: Si omnia in mundo sint vana, hominemque hi indulgentem affligunt, ut quid ergo homines rationales vanitatem hanc videntes et audientes,

his tamen obstinate inhiant? Respondet causam esse hominum illecebris mundi insecutorum et dementiarum peruersitatem et stultitiam, qua velut effrenas furentesque equi in sua dama et precipitia ruunt; haec enim ipsi, utpote cupiditatis caeci, non vident, concupiscentia sua occupati non presentiant, sed postea poenam sentiunt et grae poenitent. Hic colligit Salomon: Non ergo *his*, utpote insipientibus, sed mihi sapienti, qui seculo rectore iudicio omnia examinavi et iudicavi omnia esse vana, fidem adhibete.

Secundo, uterque Hugo Cardinalis et Victorinus ac Lyranus censent hanc gnomen necendam praecedenti: illam enim explere, quasi vanitas illa de qua versus praecedenti, hic ea duntaxat investigatur, quam viri sapientes, praesertim rectores et reges, qualis erat Salomon, experiuntur in gubernando, scilicet difficultates corrigendi subditorum cupiditates et vitia, quod peruersi difficile corrigantur. Verum hic sensus nimis arctus gnomen praecedentem de vanitate rerum, cum illa in se sit indefinita, ampla et generalis. Huc accedunt illi qui hanc gnomen necunt vers. 13, ibique per occupationem pessimam accipiunt studium scien-

ti, mentisque speculationem, q. d. Non tantum cognitioni et speculationi sua inest vanitas et afflictio spiritus, sed et praxi: frustra enim hominum peruersorum mores corrigere velit sapiens ideoque affligitur.

Tertio, alii censent hic probari vanitatem rerum ex vanitate et peruersitate hominum, qui stultis suis concupiscentiis depravat, a fine suo et felicitate declinant, seque coniungunt in aeterna tormenta. Quid enim vanius, quam aberrare a suo fine? Quid stultius, quid miserius, quam sibi accersere ignes perpetuos? Alii ex aduerso censent vanitatis rerum causam hic tribui, non Deo creatori, sed electioni, ut habent Septuaginta, et peruersitati hominum, qui res bonas a Deo creatas suo abusu distorquent in malum, ac depravant, itaque « harmoniacum mundi concentum vitiant, et dissonum efficiunt, » aiunt Patres in *Catena Graecorum*.

Quarto, Chaldaeus haec refert ad morientes in peccato; hi enim post mortem poenitere et corrigi nequeunt: « Vir, inquit, cuius peruersa via sunt in saeculo, et moritur in eis, et convertitur ad penitentiam, non habet potestatem corrigendi. Et vir deficiens in lege et praecipit in vita sua, post mortem suam non habet potestatem, ut commoretur cum iustis in paradiso voluptatis. » Verum hic sensus mysticus est potius quam litteralis. Huc accedit illa inter alias S. Hieronymi expositio paulo ante recensita, nimirum de improbis, quorum dux et auctor sit diabolus, qui poenitentia incapax in suo permanet errore. Et illa *Catena Graecae*: « Perversus et in malitiam lapsus, dum in malitia est, virtutem recipere non potest; et gratia Dei est destitutus, haudquaquam piis Dei cultoribus potest annumerari. »

Quinto et genuine, assignat hic Ecclesiastes per modum exempli, unam inter alias insignem vanitatem et afflictionem spiritus, quae Ecclesiasten, id est, virum sapientem et concionatorem, praesertim rectorem et regem, cui republicae et subditorum salutis cura inenumbit, mire affligit et cruciat, nimirum quod ex officio simul et zelo summe cupiat reformare rempublicam, et subditos ab amore peruerso vanitatis, rerumque vanarum traducere ad amorem castum veri boni, puta Dei, virtutis et felicitatis, id tamen omni suo labore et conatu assequi nequeat nisi in paucis, eo quod plurimi sint peruersi, qui difficile se corrigi sinunt, et stultorum, vanis stultisque cupiditatibus seruentium infinitus sit numerus, iuxta illud *Jerem. xiii, 23*: « Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus variates suas, et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. » Perversi enim sunt, qui habitum malitiae peccando induerunt, in eoque occalluerunt.

Sensus ergo est, q. d. Ego Ecclesiastes, rex Israel, consideravi omnia quae fiunt sub sole, omnibus hominum mores, omnia studia, ac videns in omnibus esse vanitatem et afflictionem spiritus,

atque inter alias vidi unam insignem, quae me neque similes reges et rectores maxime affligit et pungit, scilicet quod omni mea concione, omni lege et iussa, omni meo labore et conatu, parum et apud paucos proficiam; quia multo maior hominum pars fucata et fallaci vanitatis, vanarumque opum, deliciarum et honorum speie inescata, peruersae et obstinate inhiat, ideoque corrigi non vult; quare stultorum vanis stultitiae mundi illecebris incumbendum, iisque se inebriantium et dementantium numerus est innumerabilis.

Stultos vocat non physice, sed ethice, qui in veritate non speculativa, sed practica errant et delirant, puta impios suis cupidinibus mancipatos, qui prave de rebus agendis aestimant, dum vana bona veris, brevia aeternis, terrena caelestibus anteponunt; haec enim ingens est stultitia. Rursus *stultos* vocat eos qui in agendo sunt praecipites, temerarii, audaces, furiosi; quales non raro sunt potentes et divites, qui vanis mundi opibus incubant et abundant. Conatur Euegubinus, lib. VII *De Perenni Philos.* cap. IX, Coltae apud Ciceronem argumentum contra providentiam dissolvere, quod, cum tantus sit numerus stultorum, non videatur a Deo mundus factus propter illos, ac proinde eas existisse, non ab illo. Contendit enim ostendere magnam proborum omni aetate multitudinem fuisse, maximam peccantium multitudinem poenitere, paucos prodigiose malos esse: longe paucissimos esse, qui, si depravatissime vivant, non denique Deum quoquo tempore agnoscant et faleantur. Felicius alia succedit Euegubino respondendi via, donando plures improbos esse, plures autem Deo censeri unum probum mille improbis. Ita Lorinus. Denique Deus mundum fecit primario propter se, ut in eo suam potentiam, sapientiam et bonitatem ostenderet; secundario propter angelos et homines, praesertim probos, sed et propter improbos, ut scilicet hi ex mundo agnoscentes bonitatem Creatoris erga se eum redament, itaque eius gratiam et gloriam consequantur: quod si nollit, sentiant iustitiam eiusdem et vindictam, in qua aequae ac in misericordia probis exhibitae, Deus glorificatur.

Porro quam exiguis sit sapientium, id est proborum et salvandorum numerus, quam magnus vero stultorum, id est impiorum et reproborum, patet ex illo Christi: « Multi sunt vocati, pauci vero electi, » *Math. xx, 16*; et ex illo: « Intrae per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est, quae ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via est, quae ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam, » *Math. vii, 13*.

Unde S. Chrysostomus, hom. 40 *ad Populum*: « Quot, inquit, esse putatis in civitate nostra (Antiochia, in qua erant plus quam centum hominum millia), qui salvi fiant? Infestum quidem est quod dicam; dicam tamen. Non possunt in tot

millibus centum inveniri qui salventur, quin et de his dubito. » Rationem subdit: « Quanta enim in iuvenibus, queso, malitia? quanta in senibus torpor? filii curam gerit nemo, nemo selum habet, » etc. Vide dicta *Jacobi* cap. II, 43.

Quis Praelatus id advertens non luceat, non se affligat? Quam affligebat Paulum Iudeorum Evangelio salutisque suo obstantium stulta obsecratio. Audi eum lectum suum pathetice exhortantem, *Rom. ix, 1*: « Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi praebente conscientia mea in Spiritu Sancto, quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitae, » etc.

Anagogice, filii Israel, id est fideles et sancti soli Deo numerantur, et libro vite inscribuntur: at filii Esau, id est infideles et improbi non computantur, nec veniunt in numerum Dei, sed scribuntur in libro mortis et diaboli. Audi Patres in *Catena Graecae*: « Dei numerus quo sanctos numerat, spiritualium quamdam et definitam ordinationem significat: Numerans enim, inquit, multitudinem astrorum. Hoc eodem numero etiam Mosi jubet Dominus, ut numeret filios Israel. David vero de hominibus quid ait? Illic reptilia quorum non est numerus. Et in *Proverbiis* Salomon: Multos enim confessos vultibus prostravit, et innumerabiles sunt quos occidit. Quid igitur nunc dicitur *et* *et*, id est defectio, et qui occisi, et qui reptilia dicuntur, ejusdem sunt conditionis, illius nempe, quo spiritualium numero minime congruit. »

Similia habet S. Hieronymus, dum ait masculos, id est fortes et generosos, a Deo numerari; feminas vero, id est molles et effeminatas, nec venire in numerum.

Moraliter, hic discit quanta sit vis consuetudinis, sive in bonum, sive in malum: sicut enim bene agere assueti difficile pervertuntur, ita perversi male agere assueti difficillius convertuntur. « Dni, ait Seneca, *epist. 59*, in vitiis jacuimus, elui difficile est. Non enim inquinati sumus, sed infecti, ne ab alia imagine in aliam transeamus: ita nos stultitia tam pertinaciter tenet. » S. Hieronymus auctore, vel potius Babanus (hic enim est *Comment. Vero*), explicans illud *Jerem. xiii, 23*: « Si mutare potest Aethiops pellem suam, » etc., nervose ait: « Quidquid enim dicitur, non natura est, sed studii, et proprie voluntatis, quae nimia consuetudine et amore peccandi quodam modo in naturam convertitur. » Et S. Chrysostomus, *II Cor. iv*: « Magna est consuetudinis tyrannus, adeoque magna, ut perire cogat ac natura. » Consuetudo enim ligat hominem, et quasi vinculis constringit ad id qui consuevit, iterandum et prosequendum, adeoque videtur verti in naturam. Unde *Isaias* cap. v, 48: « Vae, ait, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi

vineum plaustrum peccatum. » Et S. Augustinus id ipsum expertus, lib. VIII *Confess.* cap. v: « Ligatus eram, inquit, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle enim tenebat inimicus, et inde mihi catastrum ceciderat, et constrinxerat me: quippe ex voluntate perversa facta est libido; et dum servituri libidinis, facta est consuetudo; et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. » Vide S. Bernardum, serm. *De Septem Spiritibus Sancti domus.*

Idem S. Augustinus in *Echirid.* cap. LXXX: « Peccata, inquit, quamvis magna et horrenda cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulli esse credantur, usque adeo ut non solum non occultanda, verum etiam predicanda ac difamanda videantur. »

Et S. Gregorius, lib. IV *Moral.* cap. XVIII: « Quot vicibus prave frequentationis homo astringitur, tot quasi vinculis ad mentem ligatur. »

Peccatum est  
summa  
stultitia.  
Cur?

ET STULTIORUM INFINITUS EST NUMERUS. — *T<sup>o</sup>* et Hebraeis sepe est causale, idemque valet quod *nam, quia*. Dat ergo causam cor perversi difficile corrigitur, quia scilicet stulti sunt: idque primo, quia peccant; peccatum enim est summa stultitia, quia sensum rationi, cupiditatem virtuti, praeponeat creaturam Creatori, id est obolum millioni, granum segeti, guttam mari, globulum terrae toto orbe. Quid stultius? *Secundo*, quia peccata iterando, eorum habitum ac quasi necessitatem sibi inducunt. *Tercio*, quia in his obstinate perseverant, eaque sensim laudant, nec peccata aestimant, sed virtutes. *Quarto*, quia corrigi se non sinunt, sed recta docentes et monentes spernunt et rideant. Hinc a Salomone stultitia haec moralis vocatur « egestas cordis, » et stulti vocantur « indigentes corde, » id est privati mente, hoc est, recto rationis manique usu, puta destituti vera prudentia sanoque mentis iudicio, ut patet *Proverb.* cap. x, 13 et 21. Sic Roboam ab Ecclesiastico cap. XLVII, 28, vocatur « gentis stultitia, et imminutus a prudentia. »

Aliter R. Haccados apud Galatinum qui veritas ex Hebraeo, *egestas hominum non potest numerari*, sic explicat: Plurimum hominum sunt pauperes, qui non sunt experti opum deliciarumque vanitatem; unde putant illas ingens esse bonum, aestimantque se felices, si eas adipisci queant; sed errant, quia perverse iudicant de rebus sibi incognitis, quarum non habent experientiam, perinde ac caeci de coloribus. Quare illis non est fides adhibenda, sed mihi Salomoni, qui sum diffusissimus, omnemque rerum humanarum abundantiam habui, ac omnia expertus et scrutatus in his nullam felicitatem, sed meram vanitatem deprehendi. Verum hic sensus languet et friget.

Moraliter hic disce, primo, prudentiam ac virtutum hominem efficere sapientem, imprudentiam vero et cupiditatem eum efficere insipientem et stultum, uti passim hic et in *Proverbis* utrumque vocat Salomon, et hisce nominibus disci-

minat: causas ibidem recensit. Idem per umbram videre, imo a Salomone didicere philosophi, ut patet ex Socrate et Platone passim in *Dialogis* atque ex Aristotele, lib. III et IX *Ethic.* Vere Dionysius, *orat.* 20, ita definit: « Stultus est, qui non est animi sui dominus; circumvolvitur enim, trahiturque facile a levi quoenique occasione et colloquio. » Et Seneca, *epist.* 9, docet: « Sapientem seipso contentum nulla re in angustia, et tamen nullis illi rebus opus esse; contra stulto nulla re opus est: nulla enim re se it uti, sed omnibus eget. » Idem, *epist.* 43: « Quam vitam, inquit, dici existimas stultam? nostram: quos oves cupiditas in noctura, certe nonquam satisfatura precipitat: quibus si quid satis esse posset, fuisset; qui non cogitantur quam jocundum sit, nihil posse: quam magnificentum, plenum esse, nec ex fortuna pendere. Stulti vita ingrata est, trepida est, tota in futurum fertur. »

*Secundo*, hinc disce conepiscientiam esse meram magnamque stultitiam; vitiosos enim sui asselas facit stultos. Id patet in ira, quae hominem ratione privat, facitque furere instar insani; in libidine, quae sapientem dementat, uti dementavit Salomonem, Sansonem, Davidem: amor enim est cecus et amens, ideoque amantes facit amentes, uti cernimus meretricis et puellis amore juvenis alienigeni captis, rationem cum iudicio perdere, ac velut mentis impotes, et amore amentes; in superbia, quae superbos inflat, uti putent se omnibus esse sapientiores, ditiores, potentiores, etiamsi sint insipientissimi, pauperissimi et vilissimi. Nonne stulta est vox illa regis Babylonis, velut novi Luciferi: « In caelum ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebō in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo? » *Isaia* XIV, 13. Et illa Pharaonis: « Meus est fluvius (Nilus fecundans Egyptum), et ego feci memetipsum, » *Ezech.* II. Sic in avaritia, acedia, gula, invidia caeterisque vitis, atque in ipsis avaris, gulosis, acedis, invidis, etc., nulla dictamina, aequae ac opera stulta stolidaque reperies, ut si sincere iudices, dicere debeas, illos videri mente captos, fatios, deliros.

*Tercio*, hinc collige non esse sequendam multitudinem, haec enim est stultorum; sed paucitatem, haec enim est sapientum: « Stultorum, inquit, infinitus est numerus: infinitus, id est maximus et quasi innumerabilis, uti habent Hebraea. Rursus « infinitus » synecdoche generalis, quia assidue singulis annis, imo diebus oriuntur et succedunt novi stulti, talesque succedent semper, quamdiu durabit haec in mundo hominum vita.

Haec est quod veteri adagio dicitur: « Loquendum ut multi, sapiendum ut pauci. » Vulgus enim sepe de rebus, praesertim agendis sinistre iudicat, erronea habet dictamina, animos depressos, et in terrena demersos; vitis et scandalis abun-

dat, sapientiae et vere virtutis expertus est, uti multis Patrum gnosis et exemplis ostendi *Numer.* cap. XI, 4, et cap. XX, 3. Haec de causa viri sapientes, quales fuerunt olim Essaei, Ascetae et Anachoretae, turbas urbesque fugerunt, et in solitudine cum paucis sanctis, imo cum Deo et angelis conversati sunt. Hinc S. Antonius dicebat: « aquam piscibus alimento esse, solitudinem autem monachis afferre ornamentum; atque pisces quidem, cum terram attingunt, vitam amittere; monachos autem, cum urbes adeunt, gravitatem monasticam deperdere. » Ita refert Sozomenus, lib. I *Histor.* cap. XIII. Viderunt id per umbram philosophi, et quibus Seneca, lib. *De Vita beata*, cap. II: « Cum de beata vita agitur, inquit, non est quod mihi illud discessionum more respondeas. Haec pars major esse videtur; ideo enim peior est. Non tam bene cum rebus humanis geritur, ut meliora pluribus placeant. Argumentum pessimi; turba est. Queramus quid optime factum sit, non quid usitatissimum, et quid nos in possessione felicitatis aeternae constituat, non quid vulgo veritatis pessimo interpreti probatum sit. »

Idem, *epist.* 7: « Quid, inquit, tibi vitandum praecipue existimem quaeris? turbam. Nondum illi te tuto commiseris: ego certe confiteor imbecillitatem meam; nunquam mores, quos extuli, refero. Aliquid ex eo quod composui turbatur, aliquid ex his quae fugavi rediit. Quod aegris evenit, quos longa imbecillitas usque adeo affecit, ut nunquam sine offensa proferantur, hoc accidit nobis quorum animi ex longo morbo inficiuntur. Inimica est multorum conversatio. Nemo non aliquid nobis vitium aut commodat, aut imprimit, aut nescientibus alliait. Utique quo major est populus qui commiscetur, hoc periculi plus est. » Et pluribus interjectis: « Subducendus populo est tener animus, et parum tenax recti. Facile transiit ad plures. Socrati, Catoni et Laelio excutere mentem suam dissimilis multitudo potuisset, adeo meo nostrum qui, quom maxime concinnamus ingenium, ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium potest. Unum exemplum luxuriae aut avaritiae multam mali facit. Convictor delicatus paulatim enervat et emollit. Vicinus dives cupiditatem irrat, malignus comes quamvis candido et simplici rubiginem affricuit. Quid tu accidere his moribus credis, in quos publice factus est impetus. Necessae est aut imiteris, aut oderis. Utrum autem devitandum est, ne vel similis malis fias, quia multi sunt; ne inimicus multis, quia dissimiles sunt. Recede in teipsum quantum potes; cum his versare, qui te meliorem facturi sunt. Illos admittite, quos tu potes facere meliores. » Exemplis idipsum denique confirmat: « Democritus, ait, unus mihi pro populo est, et periculus pro uno. Bene et ille, quisquis fuit (ambiguit enim de auctore), cum quaereretur ab illo quo tanta diligentia artis spectaret ad paucissi-

mos perventura: Satis sunt, inquit, mihi pauci, satis est unus, satis est nullus. Egregie hoc tertium. Epicurus, cum uni ex conscriptoribus studiorum suorum scriberet: Haec, inquit, ego non multis, sed tibi; satis enim magnum alter alteri theatrum sumus. Ista, mi Lucili, condenda in animum sunt, ut contemnas voluptatem ex plurius assensione venientem. Multi te laudant. Equid habes, cur placeas tibi? Si is es quem multi intelligunt, introrsus bona tua spectent. » Ac rursus, *epist.* 8, seipsum in exemplum statuens: « Successi, inquit, non tantum ab hominibus, sed etiam a rebus, et primum a rebus meis. Posterorum negotium ago. Illis aliqua quae possint prodesse conscribo. Scaltatae admonitiones velut medicamentorum utilium compositiones litteris mando, esse illas efficaces in meis ulceribus expertus. »

16. LOCUTUS SUM IN CORDE MEO (Aquila et Symmachus, cum mente mea; Chaldaeus, in cogitatione cordis mei dicens): ECCE MAGNUS EFFECTUS SUM, ET PRECESSI OMNES SAPIENTIA, QUI FUERUNT ANTE ME IN JERUSALEM, ET MENS MEA CONTEMPLATA EST MULTA SAPIENTER. — Hebraea, et cor meum vidit multam sapientiam et scientiam. Sic et Septuaginta, Chaldaeus, Syrus, Arabicae et caeteri. Tigrina, *subdixit autem rationem ejusmodi epud animam meum: Ecce ego res magnas perfecti, et auxi sapientiam prae omnibus, etc.* (1).

Hucusque Ecclesiastes probavit suum thema, nimirum omnes res mundi esse vanitates, per rationes genericas et universales; nunc item probat per rationes specificas et particulares: quare a toto regere genere descendit ad singulas rerum species, in hisque vanitatem demonstrat. Est ergo hic inductio, qua singularium rerum vanitatem probat, indeque inducit et colligit omnia sub sole esse vana, nec quidquam ex eis posse animum hominis satiare et beatere. Incipit autem a sapientia, tum quia illa caeteris rebus dignitate eminet, ac plus veritatis minusque vanitatis videtur habere; tum quia philosophi totum studium, omnique suum decus posuere in sapientia. Unde Seneca, *De Brevitate vitae*: « Sine sapientiae studio, ait, nulla potest esse vera et solida animi beatitudo; » tum denique et potissime, quia Salomon sapientiae fuit studiosissimus, eamque a Deo prae rebus omnibus postulavit et impetravit, atque per eam omnium hominum occupationes, studia et curas studioso contemplatus est,

(1) Koheleth quidem majorem sapientiam sibi comparavit, quam omnes qui ante eum Hierosolymae regnarunt; sed suam sapientiam querendam studium vanum fuisse intellexit. *Locutus sum cum corde meo dicendo*. In animo haec cogitavi: *Magnam feci et addidi, auxi sapientiam super omnem; magis quam omnis qui fuit ante me super Hierosolyma, et cor meum vidit, acquisivit multam sapientiae et scientiae.*

Vers. 17. *Dei, inquam, cor meum ad cognoscendam sapientiam, et ad cognoscendum insaniam et stultitiam (Koheleth, res splendentes, gloriosas, illusiones, insanias); cognovi etiam hoc esse studium inane.*

ut ipse ait vers. 13, in eaque contemplatione animi eum pascibat et oblectabat: quare in ea videbatur sibi esse magnus sapiens et beatus. Verum super illam ipsam hic se suamque considerationem reflectens, invenit in illa quoque inesse vanitatem magnamque afflictionem spiritus. Alii ergo:

LOCUTUS SUM IN CORDE MEO. — *Primo*, sensus est, *q. d.* Perversorum et stultorum turbam, de qua vers. precedenti, devitans secessi in cordis arcum, ibique cum sapientia ipsa conversatus, per eam omnia sapienter lustravi, consideravi, et expendi. « Loqui aliquis dicitur in corde suo, ait Olympiodorus, cum mentem ad cogitandum applicat, secum disputat et ratiocinatur. » *Secundo*, loqui in corde notat magnam cordis, id est mentis attentionem ad id quod homo sibi loquitur et cogitat, qualem habent cogitabundi, tristes et melancholici. *Tertio*, notat affectum et pathos, mirum ingentem vel letitiam et plausum, vel mestitiam et molestiam. Utraque hic notatur in Salomone, *q. d.* Locutus sum in corde, mihi secreto gaudens et applaudens de sapientia tanta mihi oculis infusa; sed dum per eam vana et molesta hominum studia inspecio, mihi molestiam mentisque afflictionem infixi, uti mox plenus ostendam. Sic Anna amaro corde et flens largiter, et attente orans loquebatur in corde suo: « Quia ex multitudine doloris et meroris mei locuta sum, » ait ipsa ad Heli, I Reg. I, 13 et 16.

ECCE MAGNUS EFFECTUS SUM. — Magnis opulentiis, magnis potentia, magnis animo, magnis imperio, magnis operibus et fabrica templi, magnis sapientia, magnis in mensis et ferculis, magnis comitata et pompa equorum, currum, famulorum et militum, magnis fama et gloria: fuit enim Salomon regum omnium sapientissimus, opulentissimus, potentissimus, deliciosissimus, magnificentissimus, famosissimus, gloriosissimus, ut patet III Reg. x et xi. Unde vocatus fuit « rex magnus et rex regum, » teste Eusebio, lib. IX de Praepar. cap. ult. Hugo uterque Cardinalis et Victorius punant hae dicit a Salomone in iactantia et vana sui complacentia. Melius alii censent hanc ab eo dici ex animi candore, et gratitudine erga Deum. Unde non ait: Ego magnum me feci, sed « magnus effectus sum, » scilicet a Deo. Legit interpres cum Septuaginta *הודלתי* *hoydalti* in *hophal* passivae, id est magnificatus sum: jam legunt *הודלתי* *hoydalti* in *hiphil* activae, id est magnificavi, scilicet meipsum, vel potius sapientiam meam, ut sequitur. Unde Chaldaeus vertit, ego auxi et addidi sapientiam super omnes sapientes, qui ante me fuerunt (alii, praeservant) in Jerusalem, alii, ego magnificavi et auxi sapientiam, etc.; alii, processi prudentia, et omnibus sapientibus praecellui; Vatablus, ego res magnas perfecti.

AC PRÆCESSI OMNES SAPIENTIA QUI ANTE ME FUERUNT IN JERUSALEM. — Hebraice super Jerusalem, id est, qui praefuerunt Hierosolymae et Judaeae vel ut re-

ges, sicut David et Saul; vel ut iudices et principes, ut Othoniel, Gedeon, Samson, Jephthae, Heli, etc.; vel ut doctores et legisperiti, vel ut sacerdotes et pontifices: quare dum eos sapientia antecellui, ceteros omnes mundi reges et philosophos eadem superavi; quia Iudaei, praesertim legisperiti et pontifices, philosophis omnibus fuere sapientiores. Unde III Reg. III, 12, Salomon audi a Deo: « Dedi tibi cor sapiens, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit; » fuit ergo Salomon a toto genere sapientior Adamo, Abrahamo, Moysae, Josepho, Davide ceterisque Patriarchis et Prophetis, etsi id hoc loco negat S. Hieronymus. Esto in certo genere, v. g. in prophetia, superatus sit a Prophetis, in psalmodia et sanctitate a Davide. Et mox cetera addens Deus: « Dedi tibi, inquit, divitias et gloriam, ut nemo fuerit similis tui in regibus, cunctis retro diebus. » *Pro processu sapientia*, Hebraice est, *addidi sapientiam*, *q. d.* Sapientiam mihi coelitus inditam valde adaux per experientiam, et quotidianam rerum speculationem. Ita Olympiodorus. Unde Symmachus vertit, *superexcelsitatem sapientia*. Quam ampla fuerit sapientia Salomonis, ipsemet fusc explicat Sapient. cap. VII, 17 et seq. Vide Sixtum Senensem verbo Salomon, et Pinedam, lib. III de Rebus Salomonis.

ET MENS MEA CONTEMPLATA EST MULTA SAPIENTER, ET IUDICI. — « Contemplata est, » per speculationem et meditationem; « iudicium, » per experientiam. Hinc Origenes *Proem. in Cant.* docet sapienter Graecorum suam philosophiam hausisse a Salomone: illo enim fuere posteriores, teste Clemente, lib. V *Stromat.* Scientia enim naturalis, puta rerum physicarum, ethicarum, oeconomiarum et politicarum Salomon omnes homines superavit: in supernaturali et divina superatus fuit a Mose, Prophetis et Apostolis.

17. DEDIQUE COR MEUM UT SCIREM PRUDENTIAM, ATQUE DOCTRINAM, ERRORESQUE ET STULTITIAM: ET AGNOVI QUOD IN HIS QUOQUE ESSET LABOR ET AFFLICTIO SPIRITUS. — Syrus, *perturbavit spiritus*; Septuaginta, *electio vel prosumptio spiritus*; alii, *irritamentum spiritus*; Aquila, *passio venit*. Vide dicta vers. 14. Alienum est illud Cajetani: « Traditur hic, ait, fructus scientiae, quod ipsum studium sciendi est fractio spiritus, vel ratio praecipua frangendi spiritum. Ignorantes enim suis prosequuntur spiritus, suis aguntur impulsibus. » Hoc enim est veritas non vanitas, utilitas non noxa et vilitas, sancta stabilitas non rixosa levitas; cum ex adverso vanitatem et noxam sciendi hic astruat Salomon.

Pro errores hebraice est *הוללות* *holilot*, quod Septuaginta vertunt *parabolas*; Syrus et Arabicus, *proverbia*; et Aquila, *errores*; Theodotion, *prolapsiones*; Cajetanus, *tritas*, sive intricaciones operum et negotiorum, quibus multi se intricant, adeo ut se extricare nequeant; alii, *insanas*; Arias, *nugae*; Fonteius, *furors*; Vivianus, *arro-*

*gantiam*; Thuanus, *insanos pectoris astus*; Chaldaeus, *et dedit cor meum ut scirem sapientiam et stultitiam regni, et scientiam et intellectum probavi, et cognovi quod etiam hoc est contritio spiritus viro, qui diligenter laborat ut inveniat ea.*

Pro stultitiam hebraice est *טולת* *sichlut*, quod si per *samech* scribas, significat stultitiam; sin per *sin* (quod idem valet quod *samech*), significat prudentiam et intellectum, ut vertunt Septuaginta et Chaldaeus, nimirum vani rerum mundi amatores, dum in iis conquirendis se putant sapientes, eorum Deo stulti fiunt et delirant. Nam, ut ait S. Paulus: « Sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum, » I Corinth. III, 19.

18. EO QUOD IN MULTA SAPIENTIA, MULTA SIT INDIGNATIO: ET QUI ADDIT SCIENTIAM, ADDIT ET LABOREM. — Ita legunt Codices Romae emanati. Alii ex Hebraeo legunt, *et dolorem*; utrumque verum, et eodem res redit: quia omnis labor est dolor, et omnis dolor est labor. Aquila vertit, *et tormentum*. Septuaginta Hebraeorum *כבד* *macob* vertunt *flagella*, Psalm. XXXI, 10. Tigurina vertit, *qui auget scientiam, simul auget quod cum cruciat.*

Pro indignatio hebraice est *עצב* *caas*, id est ira, indignatio; Syrus, *furor*; Septuaginta, *cognitio*; Arabicus, *nam in multitudine sapientiae multiplicatur doctrina, et dolor*; utrumque verum, et eodem res redit: quia omnis labor est dolor, et omnis dolor est labor. Aquila vertit, *et tormentum*. Chaldaeus accipit hanc de ira Dei: « Quoniam vir, inquit, qui multiplicat scientiam cum peccaverit, ita non convertitur ad poenitentiam, multiplicat iram ad faciem Domini; et qui addit scientiam et moritur in juventute sua, addit dolorem proximis suis. » Costus vero sic ultima ex Chaldaeis vertit, *constat in se tantitiam et trun Domini, a quo ille sceleris mactus fuerat: quod si inveniunt atate moratur, secum ipse intestinam animi molestiam adauget*. Auctor *Catena Graeca*: « Qui profundiorum, ait, causas inquirat, nec invenit, hic addit laborem. Hoc minime illis evenit, qui perfunctorie student. »

Repetendo exaggerat Ecclesiastes, et inculcat suum studium in vestiganda sapientia et scientia, ut ostendat se utramque penitus inespexisse, et in utraque deprehendisse vanitatem et afflictionem. Pro prudentiam et doctrinam, hebraice est *sapientiam et scientiam*. Sapientia, ait S. Augustinus et theologi, est cognitio rerum altissimarum, puta divinarum et caelestium: scientia vero, naturalium et humanarum, praesertim circa mores et res agendas. Sapientia opponit errores, id est falsas antiquorum sive philosophorum, sive haereticorum opiniones, ait R. Haccados, quales sunt haereses de Deo Deique providentia, omnipotentia, omniscentia, etc. Scientia opponit stultitiam, quae stulte quis iudicat de rebus agendis, et stulte operatur, dum vitium pro virtute, imo pro virtuale seculare. Rursum sapientia accipi potest virtute, pro prudentia supernaturali, ad rite cognoscendum, colendum, amandum Deum per virtutes theologicas: scientia vero, pro prudentia natu-

rali ad honeste vivendum, per virtutes morales, quibus qui fit fortis, temperans, castus, justus, etc. Vice versa per errores accipias superstitiones, idololatriam falsoque nimum cultus, vero Dei cultu oppositos: per stultitiam vero, imprudentiam, et incontinentiam vivendi: per gulum, luxuriam, fraudem, furtum, etc. Salomon enim passim in *Proverbiis*, *Ecclesiaste* et *Sapientia* per sapientiam et scientiam non tam speculativam quam practicam intelligit, puta ethicam, quae mores ad Deum rite colendum, et ad se aequae proximum legitime amandum, juxta normam rectae rationis et legis divinae conformat; atque hanc maxime spectavit et sectatus est Salomon, ut eandem alios doceret, uti haece libris facit. Sensus ergo est, *q. d.* Summo studio incubui, ut pervestigarem sapientiam et scientiam, tum speculativam, tum potius practicam, eamque secernerem ab erroribus et stultitia, hoc est, ut virtutes tum Deum, tum hominem et proximum spectantes, a vitis illi adversis secernerem et distinguerem; ut hac ratione viam ad veram animi felicitatem vestigare, sciremque quid in hac vita hominem beare et felicem efficere posset. Verum post longum studium et examen, inveni in his quoque suam inesse vanitatem et afflictionem spiritus, quia « in multa sapientia multa inest indignatio; et qui addit scientiam, addit dolorem; » scientie enim et studio assuela est labor et dolor: quare qui addit scientiam, addit et dolorem, tum quia quamdiu durat scientia, durat et labor; tum quia crescente studio crescit pariter capitis corporisque totus, deficientibus spiritibus vitalibus, defatigatio, labor et dolor.

Quæres, quomodo in multa sapientia sit multa indignatio, atque in scientia dolor? nam, ut docet D. Thomas, II, *Quæst.* XXXVIII, art. 4: « In contemplatione veritatis, maxima delectatio consistit. Omnis autem delectatio dolorem mitigat, et ideo contemplatio veritatis mitigat tristitiam vel dolorem, et tanto magis, quanto perfectus aliquis est amator sapientie: et ideo homines ex contemplatione divina, et future beatitudinis in tribulationibus gaudent, secundum illud *Jacobi* 1, 2: Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationibus varias incideritis, » etc. Hæc S. Thomas.

Respondet Chaldaeus pro indignationem accipiendam esse iram et vindictam Dei, *q. d.* Deus indignatur sapientibus, qui cum sciunt quid agere debeant, id tamen non agunt; sed perverse vivunt, nec agunt poenitentiam. Sic et R. Salomon, ac ex parte S. Hieronymus, Olympiodorus, Albinius, licet magis in aliam sententiam devertant. Rursum alii accipiunt indignationem, id est iram et invidiam amiorum, qui sapientibus sapientiam, famam et honorem invident, *q. d.* Cum quis studendo evadit sapiens et eruditus, concitat sibi aliorum invidiam, qui ægre ferunt illum sibi in doctrina et fama anteponi; quare illius sapientie et fame detrahunt, eamque depravant. Hinc

In scientia est indignatio.

illud cap. vii, vers. 8: « Calumnia conturbat sapientem. »

Verum melius alii accipiunt indignationem ipsius sapientis, et dolorem scientis.

Primo ergo: « In multa sapientia est multa indignatio et dolor, ait D. Thomas loco citato ad 1, vel propter difficultatem et defectum inveniendae veritatis, vel propter hoc quod per scientiam homo cognoscit multa quae voluntati contrariantur, et sic ex parte rerum cognitarum scientia dolorem causat; ex parte autem contemplationis veritatis, delectationem. » Studium enim sapientiae avocet mentem ab omnibus sensuum voluptatibus, totamque ad contemplationem colligit et cogit. Hinc studiosi et speculativi speculando consumunt optimos spiritus, et calorem naturalem a stomacho in cerebrum ad speculandum evocant: quo fit ut stomachus calore desitutus cibos concoquere nequeat, sed indigestos cibos, crudosque eorum succos ad hepar et membra transmittat, ex quibus gignuntur catharris, flatibus, febres, cacochymia, hemieria, alique plures morbi, ac subinde hectica et phthisis, aut hydrops ex abundantia pituitae, atque haec est causa, cur litterati plerique laborent stomacho, uti laboravit S. Gregorius, S. Chrysostomus, S. Hieronymus, S. Bernardus, etc. « Labores sunt scientiae comites, ait Nyssenus, additque Salomonem non prius voluptatibus se dedisse, quam gustata austeriori et severiori vita, cum se praestitisset, et a risu alienum, gravemque et constantem, per quae a studiosis maxime comparatur disciplina sapientiae; » sed hujus severitatis pertaxum, laxasse frontem voluptatis et concupiscentiae. Accedunt nocturna studiosorum vigilie et lucubrationes, abstinencia et jejunia, lectio varia et multiplex, quae cerebrum desiccant, accendunt et extenuant, ut illico in bilem concitetur.

Secundo, quia valde studiosi et sapientes vel nascuntur, vel per studium et speculationem assiduam fiunt melancholici, morosi, tetrici, uti tradit Aristoteles, sect. XXX *Problema*, cap. 1, ubi docet summos sapientes et philosophos fuisse melancholicos, adeoque nullum magnum ingenium sine mixtura demencie existisse (melancholia enim est quedam amentia). Rursum ingeniosi propter spirituum multitudinem, fervorem, celebritatem, ait Pineda, accedente etiam sapientia, quae ad deliberandum de rebus non longo spatio indiget, concitati sunt et indignabundi, quod dicebat Aristoteles in veniri in iis quibus « atra bilis permulta et calida, » et oppido flatulenta inest, qui sunt « periciti et ingeniosi amasii, propensi ad omnem excalescentiam et cupiditatem, nonnulli etiam loquaces. » Quae de re sapienter dicitur Plato, lib. II *De Republ.*, et in *Theaeteto*: « Admodum, inquit, difficile est reperire hominem ingeniosum simul et praeceteris mansuetum: nam acuti sagacesque, memoriosi ac dociles, ut plurimum in iracundiam impetusque praecipites sunt:

prorunt enim atque captantur quemadmodum sine retinaculis naves, et furiosi potius quam fortes existunt. »

Tertio, quia in scientiis innervatae sunt trices obscuritates, antilogiae, difficultates, quae hominem studiosum faciunt tetricum, morosum, iracundum, praesertim dum videt se frustra laborare, nec veritatem assequi, dum videt tot sententias et opiniones inter sit et certam, sed omnia dubia et implexa. Rursum dum quo plura cognoscit, eo plures novas quaestiones et difficultates sibi incognitas exoriri advenit, adeoque quo plura scit, eo plura se ignorare perspicit: quae res illi molestiam et bilem concitat. Insuper dum sua sententiae ab aliis contradici, eamque confutari videt, affligitur. Ita S. Hieronymus, Thaumaturgus, Albinus, Olympiodorus, Natablus. Audi S. Hieronymum: « Sapiens dolet tam in abdito quam in profundo latere sapientiam, nec ita se praebere mactibus ut lumen visui, sed per tormenta quaedam et intolerandum laborem, jugi meditatione et studio provenire. » Videas ergo sapientes inter ipsas vigilias et lucubrationes veluti excalescere atque indignari, adversus eas ipsarum rerum cognoscendarum difficultates, quas vel consequi, vel superare non possunt, et quod in longiori conflictatione et lucta evenire solet, jam desperent de victoria, jam iterum aggrediantur et pugnent, nunc fessi et lassus subsistant desidentique parumper, nunc iterum assurgant et cum rerum difficilium cognitione luctam instaurant. Ita Pineda. Doctorem ergo magna licet rerum cognitio, tamen non tam est plena scientia, quam docta ignorantia. Doctores enim quo magis procedendo investigant rerum notitiam, eo magis se deprehendunt docte ignorantes, vel ignoranter doctos, quia vix ullas rerum naturas clare percipere possunt, sed tantum eorum accidentia, quae sensibus patent.

Quarto, quia scientia inflat facileque hominem tumidum et superbam: superbi autem preni sunt ad iracundiam, praesertim dum vident sibi vel a rationibus vel ab hominibus obisti et contradici, aut obices suae praetensionis opponi, ut non possint sententiarum suarum firmam assertionem aut praemia, quae per eam presumerant, consequi. Rursum sapiens videtur mereri honorem et eminentiam: quare dum a minus sapientibus vel aemulis despiciatur, ridetur, arguitur, censet sibi gravem fieri injuriam, ideoque dolet, fit impatientis et irascitur. Vide Platonem in *Theaeteto*. Ita uterque Hugo Cardinalis et Victorinus, Lyranus, Cajetanus et alii. Sic videmus viros valde doctos proclives esse ad iram, impatientiam et anxietatem, levique verbo ad eam concitari.

Quinto, indignatur sapiens sibi, dum videt suam caecitatem et infirmitatem ad perscrutandum tot tantasque rerum abditarum veritates, etiam ethicae et practicae, dumque longe majorem diffi-

cultatem sentit ad eas opere explendum. Unde S. Hieronymus et Olympiodorus: « Quanto magis, inquit, qui sapientiam fuerit consecutus, tanto plus indignatur, quae subiacet vitis, et procul sit a virtutibus, quae requirit; ac proinde dolet super delictis suis, cum sciat cui plus traditur plus exigi ab eo, et potentes poterit tormena passuros. » Addit magis ex scientiae acquisitione notitiam nobilitatis animae suae; unde indignetur in inferioribus occupari, quae sunt ea minus digna. Ad haec fastidium viliosum nonnullorum super nobilissimo studio sacrarum Litterarum, sicut olim nauseabant Hebraei super divino cibo. Rursum honestam nauseam atque abominationem ad foedas voluptates, ob gustatum suavem spiritualium rerum saporem. Postremo, iram cum indignatione in seipsum, in daemone, in vita, in ea omnia quae nos provocant ad peccandum, si multa adit sapientia, hoc est rerum divinarum cognitio, beneque vivendi perita multa. Idem iudicium de indignatione et justo dolore, quem sentimus adversus aliena peccata. « Si ego contristatus vos, dixit Apostolus, et quis est, qui me laetificet, nisi qui contristatur ex me? » II *Corinth.* cap. ii, 2. Ita Lorinus.

Rursum sapiens irascitur discipulis et aliis, quos videt sapientiae et prudentiae expertes, ac saepe incapaces disciplinae et incorrigibiles. Videt enim majorem hominum partem viliosam, concupiscentem et vitis suis indulgentem, asperrari sanae sapientiae monita et virtutum praecipia, quae res sapientem praesertim rectorem et doctorem, qualis erat Salomon, valde cruciat et affligit.

Secundo, S. Hieronymus, *epist.* 30, de Fabiola loquens, dolorem ponit in cupidine sciendi: « Jesu bone, ait, quo illa fervore, quo studio intenta erat divinis voluminibus? etc. Nec vero satiabatur audiendi cupidine, sed addens scientiam addebat dolorem, et quasi oleum flammam addebat majoris ardoris fomenta cupiebat. » Accedit S. Gregorius Nazianzenus, qui in *Apologetico* sic explicat, quasi dicat: Quantum voluptatis quis studendo haurit, ex eo quod invenit, tantum mororis refert, ex eo quod assequi non potest: perinde ac siliens qui ab aquis delibatis avellitur: hic enim aquam, quam putat se habere, manibus tenere non potest; aut perinde ac qui fulguris splendore illustratus, illico ab eo disparte deseritur.

Denique maxime et potissime intendit hic Ecclesiastes significare studium sapientiae et scientiae, tum speculative, tum practicae esse vanum, laboriosum et afflictivum, dum in sola speculatione et cognitione rerum naturalium et ethicarum, puta virtutum et vitiorum consistit, nec ad ipsam virtutum operationem et exercitationem transit, ut fiat practicae practicum. Virtus enim et vera sapientia ac scientia, quae animae dat quietem et salutem, non in arida speculatione, sed in honesta

actione et operatione sita est; quia si carcat, vana est, et mera capitis fatigatio, qua suo fine et fructu, qui est actio vitae honesta quae ducit ad honestatem, destituitur. Hoc est quod proprie spectat hic Salomon, scilicet nudam sapientiam, et scientiam ethicam, non satiare, nec honestare, nec beatre hominem, sed solum timorem et amorem Dei studiumque virtutum; caetera omnia esse vana. Unde, cap. xii, 13, concludens ait: « Deum time, et mandata eius observa: hoc est enim omnis homo. » Addit Olympiodorus, homines non nasci sapientes, sed fieri studio et labore. Rursum adepta iam sapientia hominem stimulat et cruciat, ut id quod per sapientiam faciendum novit, hoc opere exsequatur, scilicet ut concupiscentiis suis resistat, ut arduos virtutis labores capessat, qua in re magnam sentit difficultatem et spiritus afflictionem, instar Ezechielis, qui, cap. iii, vers. 3 et 14, iussu Dei comedit volumen, in quo erant lamentationes, carmen et vis, eratque in ore ipsius ut mel dulced, sed abiit postea amarum in indignatione spiritus sui; et instar S. Joannis, qui, *Apocal.* cap. x, 9, librum sumpsit in ore dulcedem ut mel, sed qui fecit amaricari ventrem ipsius. Talis est scientia, quae initio delectat, sed postea dolorem laboremque generat. Jam audi Olympiodorum: « Sapientiam et cognitionem non jam vanitatem esse dicit, sed spiritus electionem, monens nos nequaquam fati beneficio nasci aut fieri homines sapientes, sed sapientiae desiderio ac labore, petitamque a Domino Deo sapientiam consequentes. Quod si quis adhuc scientiae plus habere desiderat, addat, inquit, et studiosos labores. Aut etiam sic intellige: Qui adeptus scientiam cognitionemque delinquit, longe amplius pueniendus est; ideo qui addit cognitionem, addit et dolorem. »

Tropologicae, haec accipias de cognitione sui: homo enim seipsum suasque infirmitates ad contemplandum, et multo magis ad recte operandum, considerans (quae est vera sapientia et scientia), tot et tantas videt, ut ingentem tristitiam et iram contra seipsum concipiat, uti fove explicat Auctor lib. *De Anima et Spiritu*, apud S. Augustinum, tom. III, cap. xlix. « Qui apponit scientiam, apponit et dolorem: quia, inquit, quantum magis homo sua mala intelligit, tanto amplius suspirat et gemit: meditato siquidem parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio perficit orationem; » quae deinde multis prosequitur. Et S. Gregorius, *XVIII Moral.* cap. xxiv: « Qui apponit scientiam, apponit et dolorem; quia quanto plus homo ceperit scire quid perdidit, tanto plus lugere incipit corruptionis suae sententiam, quam invenit. Considerat namque unde, quo lapsus est: quod a paradisi gaudiis ad erumnas vitae praesentis, ab angelorum societatis venit ad curas necessitatum. Pensat in quot jam periculis jacet, qui prius sine periculo stare contempsit; luget exilium quod

Intellectus  
scientia  
est docta  
ignorantia

damnatus patitur, et suspirat ad celestis gloria statum, quo perfrui securus posses, si peccare noluissest. »

Tu ergo, o studioso, o religioso, o magister, o doctor, qui in arida speculatione annos per plures impendisti, vitam consumpsisti, vires exhaustisti, expende, queso, quam sis a vera sapientia alienus, si notitie rerum humanarum et divinarum minime virtutem jungis, et rationem disputandi sciens, viam humilitatis et perfectæ charitatis ignoras. Nam si vera sapientia (uti dixit Lactantius) non potest cuiquam sine scientia et virtute contingere, quomodo te sapientem appellabo, quem scientia inflans dementatum tenet, et charitas edificans in sui contubernium non retinet. Si sapientia (ut ait Nazianzenus) ad Dei amorem non subvehit, et ex servis jam amicos ac filios efficit, quam ratione te sapientem existimabo, quem verus Dei amor servum non novit, et Christus nec amicum nec filium agnoscit.

Alia igitur via ad veram sapientiam quæ te beet, incedendum est, nimirum via humilitatis, charitatis, contemptus mundi, etc., uti fecit resipiscens doctor Lanfrancus, Berengarii heresiarchæ antagonista et debellator, qui in Alpibus a prædonibus captus et indigne exagitat, cum hanc injuriam impatientius tulisset, in se reversus suamque insipientiam accusans et puniens, tradidit se vite monasticæ in cœnobio Beccensi, ut veram sapientiam, puta patientiam disceret, ubi plures annos incognitus delituit; agnitus tandem creatus est Prior, mox Abbas, tandem Archiepiscopus Cantuariensis, ac successorem reliquit suum discipulum S. Anselmum sub annum Domini 1060. Ita Trithemius, tract. *De Viris illustr. ordinis S. Benedicti*, cap. xcix.

Anagogice S. Augustinus, lib. IV *De Trinitate*, cap. 1, docet scientiam infirmitatis suæ addere dolorem peregrinationis suæ, idque ex desiderio patriæ celestis et conditoris sui: « Præposuit, ait, scientiam scientiæ, præposuit scire infirmitatem suam magis quam scire mundi mœnia, fundamenta terrarum et fastigia cœlorum: et hanc apponendo scientiam apposuit dolorem, dolorem peregrinationis suæ ex desiderio patriæ suæ, et conditoris ejus beati Dei sui. In hoc genere hominum in familia Christi tui, Domine Deus meus, si

inter pauperes tuos gemo, da mihi de pane tuo respondere hominibus, qui non esuriunt et sitiunt justitiam, sed satiati sunt et abundant: satiati autem illos phantasma eorum, non veritas tua, quam repellendo resiliunt et in suam vanitatem cadunt. Ego certe sentio quam multa fœmenta pariat cor humanum. Et quid est cor meum, nisi cor humanum? »

Et S. Gregorius in *Ezech.* libro I, homil. 10: « Mentem, ait, quam Spiritus Sanctus replet, in amaritudinem temporalium et delectationem æternorum commovet, etc. Rixatur secum de his quæ male egisse se recolit, et sibi metipsi displicet, cum ei ille placere jam cœperit, qui omnia creavit. Superbis inhiat, terrena jam omnia per mentis despectum calcat. » Et paulo post: « Deditur itaque subjacere temporibus, et ardentem suspirat æternis. Unde recte quoque per Salomonem dicitur: Eo quod in multa sapientia multa sit indignatio, et qui apponit scientiam apponit dolorem. Cœlestia etenim cognoscentes, terrenis animum subdere dedignamur. Et dum plus sapere incipimus de his quæ male egimus, nobis ipsis irascimur, et fit in multa sapientia multa indignatio: quia quanto plus proficimus in cognitione, tanto nobis indignamur amplius de perverso opere. Atque cum scientia dolor crescit, quia quanto magis æterna cognoscimus, tanto magis esse nos in hujus exilii miseria dolemus, vel sicut in translatione alia dicitur: Et qui addit scientiam, addit dolorem. Quo enim scire incipimus quæ sint cœlestia gaudia, eo magis, ut errorum nostrorum laqueos possimus evadere, flendo laboramus. In multa ergo sapientia multa est indignatio, quia si æterna jam sapimus, concupiscere temporalia dedignamur. Si æterna jam sapimus, nosmetipsos despiciamus, egisse hoc, quod nos potuit ab æternitatis amore separare. Reprehendit semetipsum conscientia, accusat quod egit, damnat per penitentiam quod accusat, fit rixa in animo, parturiens pacem cum Deo. » Igitur qui apponit scientiam, scilicet supernorum, apponit dolorem, scilicet imorum et terrenorum; nam, ut ait S. Isidorus, lib. III *Sentent.* cap. xx: « Quantum quisque poterit superna scire quæ appetat, tantum de infimis quibus inheret, acris dolere debet. »

## CAPUT SECUNDUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Ecclesiastes* / 1208.3 laborem, quem senserat in studio sapientiæ, dat sese deliciis et voluptatibus; at in his quoque vitæ vanitatem, rursum, vers. 12, applicat se sapientiæ, iterumque in ea vanitatem experitur. Denique, vers. 18, perstringit vanitatem eorum, qui opes accumulunt futuro heredi, quem qualis sit futurus ignorat.

1. Dixi ego in corde meo: Vadam, et affluam deliciis, et fruam bonis. Et vidi quod hoc quoque esset vanitas. 2. Risum reputavi errorem, et gaudium dixi: Quid frustra deciperis? 3. Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitareque stultitiam, donec viderem quid esset utile filiis hominum: quo facto opus est sub sole numero dierum vitæ suæ. 4. Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, et plantavi vineas, 5. feci hortos, et pomaria, et consevi ea cuncti generis arboribus, 6. et exstruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem sylvam lignorum germinantium, 7. possedi servos et ancillas, multamque familiam habui, armenta quoque, et magnos ovium greges, ultra omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem: 8. coærvavi mihi argentum, et aurum, et substantias regum, ac provinciarum; feci mihi cantores, et cantatrices, et delicias filiorum hominum, scyphos et urecos in ministerio ad vina fundenda: 9. et supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Jerusalem: sapientia quoque perseveravit mecum. 10. Et omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis: nec prohibui cor meum quin omni voluptate fruere, et oblectaret se in his quæ præparaveram: et hæc ratus sum partem meam, si uter labor meo. 11. Cumque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, et ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole. 12. Transivi ad contemplandam sapientiam, erroresque et stultitiam (quid est, inquam, homo, ut sequi possit regem Factorem suum?) 13. et vidi quod tantum præcederet sapientiam stultitiam, quantum differt lux a tenebris. 14. Sapientis oculi in capite ejus: stultus in tenebris ambulat: et didici quod unus utriusque esset interitus. 15. Et dixi in corde meo: Si unus et stulti et meus occasus erit, quid mihi prodest quod majorem sapientiæ dedi operam? Locutusque cum mente mea, animadverti quod hoc quoque esset vanitas. 16. Non enim erit memoria sapientis similiter ut stulti in perpetuum, et futura tempora oblivione cuncta pariter operient: meritur doctus similiter ut indoctus. 17. Et ideo tædium me vitæ meæ, videntem mala universa esse sub sole, et cuncta vanitatem et afflictionem spiritus. 18. Rursum detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus heredem post me, 19. quem ignoro, utrum sapiens an stultus futurus sit, et dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi et sollicitus fui: et est quicquam tam vanum? 20. Unde cessavi, renuntiavitque cor meum ultra laborare sub sole. 21. Nam cum alius laboret in sapientia, et doctrina, et sollicitudine, homini otioso quæsitâ dimittit: et hoc ergo vanitas, et magnum malum. 22. Quid enim proderit homini de universo labore suo, et afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est? 23. Cuncti dies ejus doloribus et arumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit: et hoc nonne vanitas est? 24. Nonne melius est comedere et bibere, et ostendere animæ suæ bona de laboribus suis? et hoc de manu Dei est. 25. Quis ita devorabit, et deliciis affluet ut ego? 26. Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, et scientiam, et lætitiâ: peccatori autem dedit afflictionem,